AMBROSIUS MEDIOLANENSIS. TRACTATUS DE SACRILEGIIS ET IMMUNITATIBUS ET EORUM COMPOSITIONIBUS

2. Hälfte 12. Jh. Seite 32r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36517
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



ne sui sine dampno. nichil insipientis facit. sed sapientis omnia. Qui autem sa
pientis facit. nichil habeat quod metuat. Metus enim in peccato est. Ubi autem
nulla formido. ibi libertas. Ubi libertas ibi potestas faciendi quod uult.
Solus ergo sapiens liber est. Et enim qui neque cogi potest neque prohibere: is neque
quam seruus. Sapientis autem est neque cogi. neque prohiberi. Non est igitur ser
uus sapiens. Prohibetur enim qui non fungitur his que desiderat. Que enim desiderat
sapiens nisi ea que uirtutis et disciplinę sunt. sine quibus esse non potest. In ipso
enim sunt. nec diuelluntur ab eo. Quod si diuelluntur iam non sapiens qui sit sine
uirtutis usu. ac disciplina quibus ipse se fraudet. si non sit uoluntarius
uirtutis interpres. Quod si cogitur. manifestum est quod inuitus faciat. In omnibus
autem factis aut a uirtute correctiones sunt. aut a malitia prolapsiones.
aut media. aut indifferentia uirtutis. Non coactus. sed uoluntarius
executor est sapiens. quomodo omnia que placent agit. malicię fugitans nec
somnium eius admittit. Differentibus itaque non mouetur. ut nullis momentis
sicut uulgus hominum. huc atque illuc inclinetur. sed tanquam instantia mens
eius equa lance pendeat. ut neque aduoluptaria perpendat. neque omnino
adea que sunt aduersanda. uel leuiter studium inclinet suum. sed immobilis ma
neat affectu. Unde liquet quia nichil inuitus facit sapiens neque cogitur. quia si
seruus esset cogeretur. Liber igitur est sapiens. apostolus quoque sic diffinit dicens.
Non sum ego liber. Non sum apostolus. Sed adeo liber. ut cum subintrassent quidam
temptare libertatem eius. nec adhoram ut ipse ait cederet subiectioni ut
ueritas euangelii predicaretur. Qui ergo non cessit. uolens predicauit. Ubi
uoluntas. ibi merces uoluntatis. Ubi necessitas. ibi obsequium est ne
cessitatis. Melior est uoluntas quam necessitas. Velle ergo sapientis est.
parere et seruire insipientis. Hęc etiam apostoli diffinicio dicentis. Si
enim uolens hoc ago. mercedem habeo. si autem inuitus. dispensatio mihi cre
dita est. Sapienti igitur merces defertur. sapiens autem ex uoluntate facit.
Liber itaque secundum apostolum sapiens. Unde et ipse clamat. Vos enim in li
bertatem uocati estis. tantum ne libertatem in occasionem carnis detis.